Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Collatio locorum de consolatione

Melanchthon, Philipp

Vvitenbergae, 1549

Septimus.

urn:nbn:de:bsz:31-61720

Visual Library

atur igitur hæc uera & efficacissima consolatio, nos non casu affligi, sed sciente Deo, nec ideo adfligi, ut pereamus, sed ut crescant in nobis penitentia, fides, inuocatio, & agnitio præsentiæ Dei, ut saluemur, iuxta illud. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

## Septimus.

Ad promissiones accedant fides, inuocatio, & spes auxilij & liberationis, nec ethnico more cogitemus, si sumus Deo curæ, seruabimur etsi nec petimus nec expectamus auxilium, Nec indulgeamus dubitationi, sed firmissime statuamus mandata Dei esse, ut ipsum inuocemus, etiam in calamitatibus, & petamus ac certo expectemus auxilium & mitigationem etiam in hac uita, & uel in hac uita, uel post hanc uitam liberationem, nec existimemus hanc inuocationem, hanc fidem, & hanc spem irritam esse, sed confirmemus nos pmissionibus, ut quicquid petieritis patrẽ in nomine meo dabit uobis.

Vult

Vult Deus acquiescere nos in promissione sua, ideoq; nos exercet, ut hæc fides in nobis accendatur & confirmetur, qua corda uere confugiunt ad deum fiducia mediatoris, & petunt & expectant bona & acquiescunt in Deo. Hæc fides pacem efficit, de qua dicit Paulus. Pax Dei quæ superat omnem sensum, gubernet corda uestra. Nec deficiamus a Deo etiamsi liberatio differtur. Sed sentiamus ut Hiob. Etiamsi occidet me, tamen sperabo in eum. Et tamen in hac uita quoq; mitigat calamitates, Nam ut Psalmus dicit. Non accendit totam iram suam. Item in ira misericordiæ recordatur.

Octauus.

Hæc omnia coniuncta, obedientia, fides, inuocatio, spes, fiunt gratissima sacrificia Deo, ut in Psal. dicitur. Sacrificium Deo